

ut unusquisque psallentium aut recitantium horas canonicas tam publice quam privatim suo muneri satisfaciatur, si quisque alternatim versus psalmodiarum aut hymnorum recitet, licet psalmodiarum nec hymnorum versus ab altero socio, vel choro recitatos privatim repetat. (7. Decantatio distincta divini officii excitamentum est singulare ad devotionem. Quod intendens piissimus Mediolanensium Antistes Sanctus Carolus decrevit, ut « omnes in choro divina officia, ut temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant; » idque non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte ac studiose faciant. (8. Distincte canere est canere non syncopando, non mutilando, non cursim, non festinanter, non commiscendo verba vel syllabas; faciendū pausam in medio, vel intra utrumque versiculum. Hinc mellifluus pater filiis suis hoc monitum reliquit: « Psalmodiam, inquit, non nimium protrahamus, sed rotunda et viva voce cantemus. Medium et finem versus simul intonemus, et simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed statim dimittat. Post medium bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, et nimis currere præsumat, aut post alios pneuma trahere, vel punctum tenere: simul cantemus, simul pausemus, semper auscultando. Quicumque incipit antiphonam, aut psalmum, hymnum, responsorium, Alleluia, unam aut duas partes solus dicat aliis tacentibus; et ab eo loco quo ille dimittit, alii incipiant, non repetentes quod ille jam dixit. Monemus vos, dilectissimi, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitanter, non parcentes vocibus, non præcedentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus muliebri quiddam de nare sonantes, sed virili sonitu et affectu voces sancti Spiritus deponentes. »

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(9. Cantum alternis choris in Veteri Testamento adumbratum, et ad seraphicam imitationem fuisse institutum, scribit S. Isidorus Hispalensis, *de Offic.*, lib. 1; Isaiæ enim c. 6, duo Seraphim clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; indeque duos choros sibi alterna modulatione concinentes representabant. Nimirum in Veteri Testamento ex Davidica institutione Levitæ in tres choros distributi canebant coram Tabernaculo testimonii: stabant autem juxta ordinem suum in ministerio. Chorus medius Levitarum erat Caathitarum sub cantore Heman; chorus dexter Levitarum Gersonitarum sub cantore Asaph; chorus vero sinister Levitarum Meraritarum sub cantore Ethan (*I Paralip.* vi). Eos autem per choros decantasse, ac sibi invicem respondisse nulli, inquit Ven. Thomasius, *Præf. in Responsor. et Antiphon. R. E.*, p. 21, dubium esse potest.

(10. In nova autem lege Christianos ab ipso Domino, ejusque Apostolis psalmos et

hymnos canendi habuisse documenta, et exempla tam certum est, quam quod certissimum, ut scitissime animadvertit Sanctus Augustinus *ep.* 119. Christus sane, et Apostoli post eucharisticam cœnam *Math.* xxvi, hymnum decantarunt. S. Paulus *Ephes.* v, Cantum ecclesiasticum discrete præcipit: *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes.* Hinc Plinius in celebri ad Trajanum epistola refert Christianos in antelucanis conventibus carmen Christo quasi Deo dicere consuevisse. Idipsum Tertullianus testatur *Apolog.*, cap. 39, et l. II, *ad Uxorem* cap. 9, « Sonant, inquit, inter duos psalmi et hymni. »

(11. Non una tamen psalmodiæ ratio apud Christianos viguit. Antiquior ea videtur fuisse, qua psalmi ab universa congregatione conjunctim uno veluti ore cantabantur. Hinc Chrysostomus *hom.* 36, tempora apostolica cum suis comparans, « Olim, inquit, omnes in unum congregati communi voce cantabant; quod et nos hodie facimus. » Augustinus quoque non semel Psalmos conjuncta omnium voce cantatos innuit; quo spectat illud de verb. *Apost.*, serm. 10, « Cantavimus psalmum exhortantes nos invicem una voce, uno corde dicentes: Venite, adoremus. »

(12. Proxima huic cum antiquitate, tum celebritate, et generali usu ratio alternatim psalmos canendi, in duas nimirum partes congregatione divisa. Sed de hac plura infra dicemus. Tertia, quæ communi quadam consuetudine in monasteriis Egypti, Cassiano teste *Institut.* lib. II, cap. 8, usurpabatur. Nempe monachorum singuli singulos per orbem psalmos canebant, reliquis cum silentio audientibus, ad ultimum usque matutini officii psalmum, quem omnes junctim cantabant.

(13. Præter has omnes canendi methodos alia quædam, sæculo præsertim Ecclesiæ quarto, frequentissima erat, quando scilicet unus aliquis (quem *phonascum*, et *præcentorem* appellabant) versum inchoabat, populo se ei in clausula conjungente, atque, ut Latini loquuntur, succinente. Meminit hujus canendi rationis S. Basilius *ep.* 63, *ad Neocæsar.* Sed celeberrimum ejusdem exemplum historia S. Athanasii suppeditat. Cum enim Ecclesia ab Arianis militibus Alexandriae obsideretur, mandavit Athanasius Diacono, ut completa oratione psalmum cantaret, populo autem, ut responderet: *quoniam in sæculum misericordia ejus*: sicque Sanctus Episcopus in media psallentium turba incolumis evasit. Id omnes historici narrant; Theodoretus *lib.* II, cap. 13; Socrates *lib.* II, cap. 11; Sozomenus *lib.* III, cap. 6; atque adeo Athanasius ipse, *Apol.* 2.

(14. Ex hac porro quadruplici canendi ratione quadruplex quoque cantus ecclesiastici genus profluxit, de quo fuse Martenius; cantus nempe *directus*, seu *directaneus*, cum totus simul chorus communiter canit, non alternatim, sed uno veluti ore, unoque concentu, qui *symphonia* dicitur; cantus *anti-*

phonus, cum bifariam, sive in binas classes canentium chorus dispersitus alternis canit: cantus *responsorius*, cum scilicet unus cantor præcinit, chorusque totus illi respondendo succinit; *tractus* tandem, quem unus solus ex primæva institutoris officiorum mente canere deberet, nullo succinente, vel respondente, licet nunc tractus alternantibus choris perperam decantari soleat.

(15. Ad alternum cantum redeo, ut aliquid de ejus antiquitate dicamus. Socrates *lib.* VI, cap. 9, refert, S. Ignatium Antiochenum Episcopum, et Martyrem, cum audisset in mentis suæ excessu Angelos alternis hymnis Sanctissimam Trinitatem collaudantes, psallendi formam in ea visione expressam Antiochenæ Ecclesiæ suæ tradidisse, quæ deinde in varias Ecclesias priorum Episcoporum studio insinuata ab omnibus Catholicis est recepta. Henricus Valesius, cum apud Theodoretum *lib.* II, cap. 24, legisset, hanc canendi alternatim psalmos rationem in Antiochenam Ecclesiam a Flaviano et Diodoro, imperante Constantio, introductam, Socratem hic errore lapsum putavit. Verum plerique utrumque historicum conciliari facile posse existimant. Nimirum alii cum Thomasio Socratem de hymnis in usum Ecclesiæ compositis, Theodoretum vero de Psalmis Davidicis intelligunt. Sunt alii qui hanc consuetudinem velint ab Ignatio primum ceptam, a Paulo Samosateno fuisse intermissam, ac deinde a Flaviano et Diodoro restitutam, a qua sententia non abhorret Azevedo. Sed Binghamio *lib.* XIV, c. 1, § 11, ejusque exscriptori Selvaggio *Antiq. Christ.*, lib. II, c. 10, § 2, num. 6, potior videtur, neque immerito, Pagii ad ann. 400, n. 12, conjectura, Diodorum et Flavianum tantum hanc rationem canendi psalmos lingua Græca Antiochiæ introduxisse, cura jam pridem antea lingua Syriaca ita cani consuevisset, id discrete testante Theodoro Mopsuesteno apud Nicetam. *Thesaur. Orthodox. fidei* lib. V, cap. 30.

(16. Ut ut est, primus in Mediolanensem Ecclesiam, ad Orientalium imitationem, alternum cantum S. Ambrosius an. circiter 386 introduxit, ad levandum populi tædium, qui furente persecutione Justinæ Augustæ ab Arianis excitata, noctes integras in templo transigebat. Testem habemus omni exceptione majorem S. Augustinus *lib.* IX *Confess.* cap. 7, cui concinit Paulinus in ejusdem Ambrosii Vita. A Mediolanensi porro Ecclesia ad cæteras Occidentis Ecclesias mos iste brevi pervasit, ut iidem nos docent. In nullis tamen Ecclesiis paulo serius receptus fuit, ut in Avenionensi et Arelatensi Ecclesiis, quarum illa solum sub Agricolo, hæc sub Cæsario alternum Cantum suscepit. Vide Coustant. *tom. I Epist. Roman. Pont.* col. 7, seq., ubi etiam eos egregie refellit, qui hujusmodi cantum a Damaso aut invecum, aut saltem confirmatum aiunt.

(17. Quod ad vocem, sive pronuntiationem in canendo attinet, duplicis erat generis cantus; planus et simplex alter, alter melodicus. Planus et simplex cantus cum

modico et grato flexu vocis, aptoque pronuntiantium sono fiebat, non multum discrepans. Hæc canendi ratio Alexandriae tempore S. Athanasii obtinuit. Sanctus certe Augustinus sæpe sibi dictum de Athanasio meminit *Conf.* lib. X, cap. 33, « quod tam modico flexu vocis faceret sonare lectorem psalmos, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. » Et hanc communem Ecclesiarum quoque Africanarum rationem fuisse, ut quæ tardioribus populi Africani mentibus gratissima foret, idem Augustinus innuere videtur *ad Januar.* *ep.* 119, cap. 18. Melodicus alter cantus ad majorem efficiendam suavitatem Orientalibus cæteris in usu fuit, atque inde ab Ambrosio in Ecclesiam suam traductus. Testatur hoc Augustinus, qui *Conf.* lib. X, cap. 33, Ambrosium alloquens ait: « Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipse commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur: cum liquida voce et convenientissima modulatione, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco... ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. »

(18. Cujusmodi cantus fuerit Romæ ante Magnum Gregorium, incompertum fuit, ut recte Joannes Bona. Gregorius porro cantum instituit, qui ab ipso ejus auctore *Gregorianus* passim dictus est, medium quodammodo inter simplicitatem Alexandrinam et suaviorem Orientalium melodiam. Ad vocum flexiones, exaltationes, et depressiones in cantu Gregoriano designandas variis notis veteres usi sunt, de quibus Rodata in pererudito commentario *de Anno jubileo, de Cultu templorum, de Cantu, et Musica ecclesiastica* in Benedicti XIV epistolam encyclicam. Galli, Germani, Angli, alique Occidentis populi Gregorianum cantum certatim amplexi sunt, solis exceptis Hibernis, qui usque ad S. Malachiam Dunensis Episcopi, aut Henrici II Regis ætatem Romanum ecclesiasticum cantum ignorarunt.

(19. S. Benedictus diversum a Romana Ecclesia psallendi ritum suis alumnis tradiderat, « ut, inquit Angelus de Nuce apud Le Cointe *Annal. Francor.* tom. VI, ad ann. 789, num. 140, *monachi a clericis non solum conversatione, sed etiam publicarum orationum modo distinguerentur*: » quod ipsum de monachis S. Columbani idem auctor statuit. Verum vel hinc discere poterat, commentum esse nulla veri specie commendandum, quod ex suo Constantino Cajetano tradidit, Monachos nempe a S. Benedicto Romam missos Pontificis jussu, ut clericos cantum docerent. Monasterium Casinense Gregorianum cantum sæculo tandem XI, recepit, Ambrosiano, quem antea observaverat, Stephani IX, jussione abolito, quod Romanus *magis dulcis et ordinatus esset*, Mabillonio teste *Annal. Bened.*, tom. IV, ad ann. 1057, quo Stephanus ex illius cenobii Abbate creatus est Pontifex; num. 2. Vide supra CANTOR.

SUMMARIUM.

1. Capella, et capellania sæpe pro eodem accipiuntur. — 2. Sed revera Capella et capellania inter se differunt. Et quid sit Capella. — 3. Quid sit capellania. — 4. Capella plerumque accipitur in jure pro modica Ecclesia. — 5. Aliquando sumitur pro Ecclesia parochiali. — 6. Interdum intelligitur nomine Capellæ Ecclesia collegiata. — 7. Quandoque sumitur pro Ecclesia juspatronatus. — 8. Frequenter etiam pro Capella veniunt sacrorum solemnia, quæ coram Papa et Cardinalibus, seu aliis magnis Principibus et Prælatibus peraguntur. — 9. Frequentius tamen, et magis proprie pro Capella intelligimus sacellum, seu oratorium, id est locum Deo consecratum intus, vel extra Ecclesiam. — 10. Et Capella hoc ultimo modo sumpta tribus modis sic appellatur, qui assignantur. — 11. Capella unde sit dicta; ad n. 14. — 15. Hisce nostris temporibus ex communi usu loquendi Capella accipitur pro altari in Ecclesia ab aliquo erecto, vel dotato, in quo juspatronatus obtineat: et a Capellis, sic sumptis derivantur etymologice capellania. — 16. Capella constructa pro celebratione Missarum debet sufficienter dotari a patrono, aliter non acquirit juspatronatus. — 17. Capella si non sit sufficienter dotata, potest fieri præceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem terminum provideant altaria de omnibus necessariis, vel ut dotem augeant sub pœna privationis eorum juris; eo autem elapso, et non parito, ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata et indotata posse ab Episcopis et regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coactato ab ordinario faciendam, id præstare negligant, vel recusent. — 18. Præceptum de augenda, vel constituenda dote sub pœna privationis juspatronatus et Capellæ potest quoque fieri patrono, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter assignata, et deinde tractu temporis fuerit diminuta, vel deperdita. — 19. Et hoc intellige, quando dos a patrono sufficienter assignata perit, vel diminuta est sine culpa rectoris Capellæ, seu beneficii, quia si id evenisset causa dicti rectoris, non esset tunc inquietandus patronus, sed teneretur ad manutentionem rector Capellæ, seu beneficii; ad n. 20. — 21. Tale onus extenditur etiam ad ornamenta, paramenta, luminaria, et omnia alia sine quibus divina celebrari non possunt. — 22. Ad quem spectet manutentio altarium, seu Capellarum, quæ sunt de jurepatronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus, seu Capellis; ad n. 24. — 25. Si nec patronus, nec Ecclesia, nec rector, seu beneficiatus possunt necessaria ministrare, et aliter necessitati opportunum remedium præberi nequit, tunc Episcopus secundum aliquos poterit partem pecunie destinatae pro celebrandis Missis, vel Anniversariis ad tempus in eandem necessitatem convertere: ad n. 26. — 27. Nunc tamen perpendenda sunt Decreta Sacre Congregationis Concilii de celebratione Missarum cum suis declarationibus. — 28. Capellæ fundationem, et juspatronatus demonstrant inscriptiones, arma, et insignia familie insculpta in marmoreis lapidibus, vel pariete Capellæ, quæ regulariter apponi non solent in re, vel ædificio alienis sumptibus constructo. — 29. Hinc eorum insculptio demonstrat rem esse de Dominio, et pertinentia illius cujus sunt arma et insignia. — 30. Et sic reperta in aliqua Capella, vel altari inducunt præsumptionem juspatronatus, et bonæ fidei in antiquis. — 31. Et arguunt illum, cujus sunt arma et insignia sibi et suis ædificare et acquirere voluisse. — 32. Et licet non appareant ita antiqua, ut dici possint apposita fuisse in fundatione, nihilominus conducunt ad probandam fundationem. — 33. Unde patroni debent manuteneri in quasi possessione tenendi in Capella, seu altari sua

insignia. — 34. Quæ arma, vel insignia, sive probentur fuisse apposita in fundatione, vel ob restaurationem, aut meliorationem, nulli unquam, sive rectori, sive conventus Prælato, sive hæredi licet ea abradere et remove; ad n. 35. — 36. Et per hoc tam jure communi quam particularibus multorum locorum legibus statutum est, quod corruptentes ac delentes alicujus familie insignia in Ecclesiis, Capellis, aliove loco ad perpetuum memoriam collocata, severe puniantur. — 37. Capellæ regie, et eorum capellani subsunt locorum ordinariis, non autem Capellarum magistris. — 38. Unde dictæ Capellæ, eorumque capellani, quantumcunque gaudeant prærogativa exemptionis, poterunt nihilominus visitari ab Episcopo loci. — 39. Nec obstant privilegia exemptionis concessa regis capellanis. — 40. Nec huic ordinariorum jurisdictioni fuit in aliquo derogatum per Concilium Tridentinum. — 41. Protectio regia ad effectum exemptionis contentæ in textu Concilii non acquiritur per simplicem receptionem in protectionem. — 42. Adducuntur ad id decreta Sacre Congr. Conc. ad n. 47. — 48. Capellæ, seu altaria confraternitatum laicorum existentium in claustris, vel Ecclesiis regularium, ab Episcopis visitari non possunt, nisi in his quæ confraternitatum administrationem respiciunt. — 49. Potest Episcopus visitare Capellam, quæ est titulus beneficii sæcularis, existentem in Ecclesia regulari respectu tantummodo tituli beneficii, ac ejusdem beneficiati, et non ultra. — 50. Non potest Episcopus visitare Capellas campestres regularium. — 51. Oratoria tamen publica, quæ habent requisita Ecclesiæ, visitantur ab Episcopo, etiamsi sint de pertinentia regularium, dummodo sint separata a claustris, et campestria. — 52. Capellas vero, seu oratoria, quæ sunt in grangiis, seu domibus ruralibus regularium, nullatenus visitare potest Episcopus, nec ab eis procuracionem exigere. — 53. Sic nec etiam potest Episcopus visitare Capellas, seu oratoria, quæ in privatorum domibus sunt, nec ab eis procuracionem exigere. — 54. Ad hæc tamen oratoria, seu Capellas in domibus privatorum, licet non possit Episcopus tanquam visitator accedere, permissum ei nihilominus est videre saltem per viam denuntiationis, aut inquisitionis, an decenter et cum debita reverentia sacrificium Missæ ibi celebretur. — 55. Episcopus dispensare non potest ut Missæ relicte a testatore in una Capella dicantur, vel remittantur in alia, quando satisfieri possunt in propria. — 56. Capellæ privatorum palatinorum non gaudent immunitate. — 57. Capella carcerum, vel contigua carceribus, non gaudet immunitate. — 58. Capella contigua, ut dicitur *al corpo di Guardia*, erecta, ut milites ibi degentes audiant Missam, maxime diebus festis, permittitur declarari non esse locum immunem. — 59. Capella ruralis, vulgo dicta *Una Maestà*, posita in publica via, nisi probetur fuisse constructa auctoritate ordinarii, non gaudet immunitate. — 60. Capella sita in palatio abbatiali habens ingressum ab atrio ejusdem palatii inserviens publicæ utilitati, gaudet immunitate ecclesiastica, quamvis palatium non sit unitum Ecclesiæ abbatiali. — 61. Quando Capella existens in palatio gubernatoris est perpetua et invariabilis, confugiens ad eam gaudent immunitate, secus si sit variabilis, et non perpetua. — 62. Capella, au vendi et alienari possit. *Remissive.* — 63. Capellam Pontificiam haberi statuitur in exsequiis S. R. E. Cardinalium. — 64. Item in Basilica S. Mariæ Majoris in die festo Conceptionis B. M. V. — 65. 75. Capellæ per octavam Ss. apostolorum Petri et Pauli Romæ celebrandæ assignantur. — 76. Quo tempore vocabulum *Capellæ* usurpari cœperit, quæque sit ejus etymologia. *Remissive.* — 77. Privilegia Capellarum, et Capellanorum regum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Lusitanæ, Sardinie, et Neapolis. *Remissive.* — 78.

Status Capellæ obnoxie juspatronatus an mutari possit insecro patrono. *Remissive.* — 79. Varia Capellarum significatio et origo. *Remissive.* — 80. Quæ propria olim fuerit significatio Capellarum, et qui capellani dicerentur. — 81. Quod præcipuum erat scopum sacellorum, sive Capellarum regiarum. — 82. Lapsu temporis alii etiam fideles laici cœperunt extruere ædículas, sive oratoria separata ab Ecclesia parochiali. — 83. Deinde etiam in ipsis Ecclesiis majoribus tam parochialibus quam collegiatis et cathedralibus, laterales aliquas ædículas, vel etiam altaria in honorem alicujus sancti extruxerunt. — 84. Quæ quidem Capellæ non sine consensu et auctoritate Episcopi, in cujus diocesi sitæ erant, erigi poterant. — 85. Quid advertere debeat Episcopus in

(1. Capella et Capellania sæpe pro eodem accipiuntur, ut probat Glossa 1, in Clement. 2, vers. *Quid de Capellanis, vel Beneficiis Altarium, de Decimis*: Felin. in cap. *de Rescript.*, n. 2, vers. *Naturam vero istorum altarium, sive capellanarum*; Fagnan. in cap. *Exposuisti de Præbend.*, num. 3. (2. Sed revera Capella et capellania inter se differunt, quia Capella proprie est locus privatus in Ecclesia, vel extra Ecclesiam positus, vel Sacratas; cap. *Quisquis*, vers. *Capellæ 17*, quæst. 4. Fusch. de Visit., lib. II, c. 11, num. 6; Alphons. de Leone de Offic. Capellani, part. 1, qu. 3, sect. 1, num. 1; Barbosa, Juris Eccles. univers. lib. II, cap. 8, num. 17. (3. Capellania vero definitur, quod sit onus celebrandi annuatim certas Missas in Capella, vel altari. Vasq. tom. III, in 3 part. S. Thomæ, disp. 234, num. 28; Perez de Lara de Annivers. et Capell., lib. II, cap. 1, num. 2; Alphons. de Leone de Offic. Capellani, p. 1, q. 3, sect. 2, n. 19; Barb. Juris Eccles. univers. I, III, c. 5, n. 1.

(4. Capella plerumque accipitur in jure pro modica Ecclesia, ut in cap. 1, et per tot. de Capellis Monach. (5. Aliquando sumitur pro Ecclesia parochiali, ut cap. *Exposuisti 33*, de Præbend. (6. Interdum intelligitur nomine Capellæ Ecclesia collegiata, ut cap. *Cum Capella 16*, de Privilegiis. (7. Quandoque sumitur pro Ecclesia juspatronatus, ut cap. *Nobis 25*, de Jure patronatus. (8. Frequenter etiam pro Capella veniunt sacrorum solemnia, quæ coram Papa et Cardinalibus, seu aliis magnis Principibus et Prælatibus peraguntur, ut per Card. Paleot. de Sac. Consistor. Consult. part. 5, quæst. 11, pag. 813, lit. B. et de his Capellis Pontificiis plura sanxit Sixtus V, in Constitut. incip. *Egredia*. (9. Frequentius tamen, et magis proprie pro Capella intelligimus sacellum, seu oratorium, id est locum Deo consecratum intus, vel extra Ecclesiam; c. *Quisquis 20*, vers. *Capellæ*, caus. 17, qu. 3. (10. Et Capella hoc ultimo modo sumpta tribus modis sic appellatur. Primo, quando est ædificatum altare in Ecclesia, etiamsi sit altare majus. Rota in Civitatis Castellæ Beneficii, 16 Junii 1628, coram Card. Virili, sive sit in Ecclesia sæculari, sive regulari, ut in toto titulo de Capellis Monach. Secundo, quando est ædificatum altare in aliquo loco separato ab Ecclesia, ita ut habeat januam in publica via, ut fieri solet in villis et in aliis locis cam-

admittendis hujusmodi oratoriis vel Capellis in sua diocesi. — 86. Hujusmodi Capellarum ædificationem non facile tamen, sed magna de causa Episcopus permittere debet. — 87. 88. Quid servare debeant Episcopi in concedendo hujusmodi Capellarum usum. — 89. 90. In concessione Capellarum quænam festa et personæ excipi solent. — 91. Benedictus XIV vetus ordinis Prædicatorum privilegium circa sacella publica, et privata oratoria confirmavit, et ampliavit. — 92. Afferuntur hæc litteræ confirmatoriæ. — 93. Capella in quo differat a sacello. — 94. An sacramentum pœnitentiæ administrari possit in privatis Capellis. — 95. De Capellis seu oratoriis regularium.

pestribus. Tertio, quando est ædificatum altare in aliqua domo alicujus privati in loco remoto ejusdem domus, ita ut sit pars domus. Ita Alphonsus de Leone de Officio Capellani, p. 1, qu. 3, num. 11, cum seq.; Barbosa Juris univers. lib. II, c. 8, n. 20.

(11. Quare autem hæc loca sic Deo dicata et consecrata appellentur Capellæ, varii varia dicunt. Aliqui enim volunt Capellam dictam esse a Cappa B. Martini, quam Reges Franciæ ad bella portabant, et sub quodam tentorio servabatur, quod inde Capella, et inde Capellani custodes illius dicebantur. Barbosa Juris Ecclesiast. univers. lib. II, cap. 8, num. 19. (12. Alii dicunt quod potius Capella est Francicum nomen, quod significat tegumen, quod veluti tentorium sibi Reges Francorum extruebant in castris militaribus, in quibus sacrum audire soliti erant. Azor. Institut. moral. part. II, lib. III, cap. 8, quæst. 1 et 2. (13. Nonnulli tenent quod Capella idem sit ac capanna, et desumatur a verbo *capio*, et *annus*, quasi importet locum, qui capit populum, et in quo annuatim Sacra fiunt. Fringerus in Etymologico latino, verb. *Capella*. (14. Alii autem sustinent Capellam dictam esse a capris, quarum pellibus olim tegebatur. Glossa in cap. *Concedimus 30*, dist. 1, de Consecratione, ibi: « Cum antiquitus dicerentur capellæ turgura caprarum pellibus tecta, » et *ibid.* Turrecremata num. 4, et cum aliis Barbosa *loc. cit.* (15. Hisce autem nostris temporibus ex communi usu loquendi Capella accipitur pro altari in Ecclesia ab aliquo erecto, vel dotato, in quo juspatronatus obtineat. Rebuff. in Concordata in forma mandati Apostol., verb. *Capella*; Barbosa *loc. cit.* n. 18. Et a Capellis sic sumptis derivantur etymologice capellania.

(16. Capella constructa pro celebratione Missarum debet sufficienter dotari a patrono, aliter non acquirit juspatronatus. Abbas in cap. *Ad audientiam 3*, de Jurepatronat. num. 4; Garcias de Benefic. part. V, cap. 9, num. 52; Glossa in can. *Quicumque 30*, caus. 16, qu. 7, arg. cap. *Nemo Ecclesiam 9*, dist. 1, de Consecratione, et declaravit. Sac. Congr. apud Garciam *loc. cit.* his verbis: « Dotans insufficienter, quod arbitrabitur ordinarius, non acquirit juspatronatus, sed dicitur benefactor. » (17. Si Capella non sit sufficienter dotata, potest fieri præceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem termi-

num provideant altaria de omnibus necessariis, vel ut dotem augeant sub pœna privationis eorum juris, eo autem elapso, et non parito, ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata et indotata posse ab Episcopis et regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coarctato ab ordinario faciendam, id præstare negligant, vel recusent, censuit Sac. Congregatio Episcoporum in Mutinensi 2 Maii 1601 et 16 Februarii 1604, ac alibi sæpe, ut testatur Pignatell. tom. VI, consult. 15, num. 4. (18. Præceptum de augenda, vel constituenda dote, sub pœna privationis juris patronatus et Capellæ, potest fieri quoque patrono, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter assignata, et deinde tractu temporis fuerit diminuta, vel deperdita. Sperel. dec. 67, num. 12; Lambertin. de Jurepatronat., lib. 1, qu. 6, art. 4, num. 5 et 6; Lotter de Re beneficiaria, qu. 31, num. 19; Genuens. in Praxi, cap. 109, sub n. 31; Pignatell. citat. tom. VI, cons. 15, num. 5. (19. Et hoc intellige, quando dos a patrono sufficienter assignata perit, vel diminuta est sine ulla culpa rectoris Capellæ, seu beneficii, quia si dos sufficiens assignata a patrono pro totali mantentione altaris, seu Capellæ periisset, vel diminuta esset culpa rectoris Capellæ, seu beneficii, tunc nullatenus esset patronus inquietandus, sed teneretur ad mantentionem rector Capellæ, seu beneficii, quia juxta regul. 22 Juris in 6: « Non debet aliquis alterius odio prægravari, » et juxta regul. 23, etiam Juris in 6: « Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. » (20. Et ad hoc faciunt Canon. c. *Quicumque* 1, et cap. de his 4, de Eccles. ædificand., ubi videtur injunctum rectoribus Ecclesiæ vel Capellæ onus ipsas reficiendi et reparandi. (21. Quod onus extenditur etiam ad ornamenta, paramenta, luminaria, et omnia alia sine quibus divina celebrari non possunt, quia fabricatio Ecclesiæ et præparatio ornamentorum a pari procedunt et parificantur; cap. de his 20, de Testamentis, ibi: « de his quæ in ornamentis, vel pro cereis, seu fabrica, luminariis, vel aliis ad perpetuum cultum divinum, etc. » (22. Num autem mantentio altarium, seu Capellarum, quæ sunt de jurepatronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus, seu Capellis, spectet ad ipsos patronos, an ad Ecclesiam in qua dictæ Capellæ, seu altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod patroni nunquam fuerint coacti ad dictam mantentionem, sed eandem impensam præstiterit dicta Ecclesia, prout hodie supplet impensas capparum, et omnium paramentorum sacerdotalium, nec beneficiati, qui habent capellanas erectas in dictis Capellis, seu altaribus, possunt eidem mantentioni concurrere, stante redditus tenuitate vix excedentis onera Missarum, quæ dictis capellanis annexa sunt. Sacra Congr. Conc. in Urbinatensi, in qua fuit propositum tale dubium sub die 10 Maii 1663, ad cap. 7, sess. 21 et cap. 9, sess. 22, respondit: « Te-

neri Ecclesiam ad limites consuetudinis legitime. In reliquis prout de Jure. » (23. Hoc tamen est intelligendum, quando Ecclesia sit ita dotata, ut possit congruenti modo mantinere altaria, et de facto longo tempore mantinuerit, quia tunc dos Ecclesiæ censetur etiam dos altarium. Et oportet quod talis dos sit instituta pro mantentione Ecclesiæ, non autem sit destituta pro mantentione ministrorum, quia proventus destinati pro ministris non debent minui, ut provideatur altaribus, cum jam ad ipsos jus acquisiverint, quare in tali casu aliunde esset providendum de dote, ut recte dicit Pignatell. loc. cit. n. 3. (24. Quam dotem pro congrua mantentione Capellæ teneretur assignare patronus, ut jam supra diximus, quia fundans capellam tenetur illam competenter dotare, quemadmodum pater filiam, juxta text. in leg. *Qui liberum*, ff. de Rit. nupt.; Abbas cons. 89, n. 20, lib. II; Bellet. Disput. Cleric., § 15, n. 3; Villagut. dec. 9, n. 2; Sperel. dec. 68, n. 15; Rota dec. 230, n. 1, part. 1, divers. arg. cap. *Nemo* 9, dist. 1, de Consecrat.

(25. Si vero nec patronus, nec Ecclesia, nec rector seu beneficiatus possunt necessaria ministrare, et aliter necessitati opportunum remedium præberi nequit, tunc Episcopus poterit secundum aliquos certam partem pecuniæ destinatae pro celebrandis Missis, vel anniversariis ad tempus in eandem necessitatem convertere, per textum in l. 1, c. de Expens.; Imol., lib. XI; Joanne Andreas in cap. fin. extra. de Testament., et tradit Ricc., dec. 123, part. II; Genuens. in Praxi, cap. 54, num. 5; Pignatell. loc. cit., num. 5. (26. Et facit decretum Sacræ Congreg. Concil. in una Romana Legati Missarum pro archiconfraternitate S. Mariæ de Planetu, quod Legatum conceptum erat his verbis: *di far celebrare tante Messe l'anno, quante ne porteranno li frutti della sua eredità*. Ubi quoad distributionem pro utensilibus Sacristiæ die 26 Martii 1679, ita rescripsit: « Taxandam esse eleemosynam ad rationem eleemosynæ manualis in urbe currentis, detractis tamen ex iisdem introitibus hæreditariis sentis quatuor pro singula Missa quotidiana ratione utensilium sacrarum suppellectilium pro hujus Missæ celebratione; » l. xxxix; Decret., fol. 509; ut refert Monacell., t. IV, supplement. ad III tom., n. 181. (27. Nunc tamen perpendenda sunt decreta Sacræ Congreg. Concil. de Celebrat. Missarum cum suis declarationibus, ut recte observavit Episcopus Lyciensis in sua II Synodo Diœcesana, § 2, in annot.; et Pignatell., loc. cit., n. 5. Vide verb. *Utensilia*, num. 14.

(28. Capellæ fundationem et juspatronatus demonstrant inscriptiones, arma et insignia familiæ insculpta in marmoreis lapidibus, vel pariete Capellæ, quæ regulariter apponi non solent in re, vel ædificio alienis sumptibus constructo. (29. Hinc eorum insculptio demonstrat rem esse de Dominio, et pertinentia illius cujus sunt arma et insignia. Rota part. XVII, dec. 139, n. 5. (30. Et sic reperta in aliqua Capella vel altari inducunt

præsumptionem juspatronatus et bonæ fidei in antiquis. Rota part. II, dec. 548, n. 7. (31. Et arguunt illum, cujus sunt arma et insignia sibi, et suis ædificare, et acquirere voluisse. Rota part. IX, t. I, dec. 124, n. 21. (32. Et licet non appareant ita antiqua, ut dici possint apposita fuisse in fundatione, nihilominus conducunt ad probandam fundationem, quia præsumuntur per patronos et fundatores apposita vel ad conservationem sui juris, vel ad ostendam devotionem erga Deum et Sanctos. Rota part. I, dec. 13, n. 3. (33. Unde patroni debent mantineri in quasi possessione tenendi in Capella, seu altari insignia, ut decrevit Sac. Congreg. Episcop., 17 Septemb. 1601 et 4 Sept. 1602. (34. Quæ arma, vel insignia, sive probentur esse apposita in fundatione, vel ob restaurationem, aut meliorationem, nulli unquam sive rectori, sive conventus Prælato, sive hæredi licet ea abradere et remove, vel ut memoria fundationis, aut benefactoris deperdatur, vel ut aliorum nomina, et insignia ibi ponantur; l. *Qui liberalitate*, § *Nec ejus nomine*, ff. de Operibus publicis, ibi: « Nec ejus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur; » Panimoll. decisione 10, adnot. pr. num. 68; Genuens. in Praxi, capit. 190, num. 1. (35. Imo Genuens. n. 4 concludit hæredem non posse sua arma affigere, in qua sunt illa fundatoris, ne memoria defuncti deperdatur contra mentem ipsius fundatoris, qui in signum patronatus ibidem arma et insignia, seu stemmata familiæ suæ ponendo videtur id fecisse sub ea lege, ne unquam amoverentur, et aliena ponerentur per dict. l. *Qui liberalitate*, et l. *si Judices*, de Operibus publicis, et l. *Legatum* ff. de Administr. ser. ad civit. pertinent. (36. Et per hoc tam Jure communi quam particularibus multorum locorum legibus statutum est, quod corruptentes ac delentes alicujus familiæ insignia in Ecclesiis, Capellis, aliove loco ad perpetuam memoriam collocata, severe puniantur; l. *Opus*, ff. de Operibus publicis. Et quidem Romanus sign. 474, scriptum reliquit penam ejusmodi esse judici arbitrariam, cui subscripserunt Gom., § *Pœnales*, n. 5, instit. de Actionibus; Rebuff. in Compend. ad Reg. Constitut. Gall., t. III, tit. de Mat. posses., art. 1, gloss. 2, n. 35, ex textu, ubi Bartol. in l. *Qui liberalitate* ff. de Operibus publicis; Menoch. de Arbitr., l. II, centur. 3, q. 281.

(37. Capellæ regiæ, et earum capellani subsunt locorum ordinariis, non autem Capellarum magistris; nam et ipsi Reges in spiritualibus subsunt Episcopis diœcesanis; cap. *Omnes principes* 4, cap. *Solitæ* 6, de Majoritate et Obedient., cap. *Duo sunt quippe* 10, dist. 96, adeoque multo magis clerici Capellarum, et ipsa Capella. Abbas in cap. *Cum Capella* 16 de Privilegiis, n. 3. Marian. Soccin., ibidem in tertio notabil.; Fagnan., ibid., num. 7. (38. Unde dictæ Capellæ, earumque capellani, quantumcunque gaudeant prærogativa exemptionis, poterunt nihilominus visitari ab Episcopo loci ex decretis, cap. 4, sess. 6, c. 6, sess. 25, ut declarasse

Sacram Congreg. Conc. refert Fagnan. *Loco cit.*, n. 8, ubi dicit quod cum quidam sacerdos regius capellanus vocatus ad iudicium coram ordinario loci postulasset se remitti ad capellanum majorem sub prætextu exemptionis, de qua habetur in Conc. Trident. cap. 11, sess. 24, de Reform., Sac. Congreg. censuit cap. 4, sess. 6, et cap. 6, sess. 25, comprehendere Capellas Regias, etiamsi in privilegiis esset dictum, ut non possent visitari ab ordinariis, quia cum d. cap. 6, sess. 25, deroget etiam fundationi, et immemorabili, censetur derogare istis privilegiis. (39. Nec obstant privilegia exemptionis concessa regiis capellanis sess. 24, c. 11, quia reservatio exemptionis, de qua in d. sess. 24, cap. 11, procedit juxta terminos cap. *Cum Capella* 16, de Privilegiis, solum quoad suspensionem, vel excommunicationem, aut interdictum, non autem quoad visitationem, et aliam jurisdictionem, ut ibi aperte patet, et tenet Rota dec. 744, part. 1 divers.; Covarruv. Practic. c. 11, num. 5; Barbosa in Conc. sess. 7, cap. 8, num. 26; Fagnan. in d. cap. *Cum Capella*, n. 7 et 10. Et de facto Tridentinum dict. sess. 24, c. 11, de Reform., expresse præservavit dictam Decretalem ibi: « Et quoad capellanos regios juxta constitutionem Innocentii III quæ incipit *Cum Capella*, subjecti existant. » (40. Nec huic ordinariorum jurisdictioni (quod scilicet in locis, Capellis, et Ecclesiis, quæ sub regum immediata protectione sunt, Episcopi possint visitare et recognoscere decentiam divini cultus, et alia facere, et inquirere, quæ pertinent ad sacra mysteria) fuit in aliquo derogatum per Trident. cap. 8, sess. 22, de Reform., ut censuit Sacra Congr. Concil. in Neapolitana, 12 Decembr. 1601, lib. 15, dec. 423. (41. In qua responsione pro instructione additur, quod protectio regia ad effectum exemptionis contenta in textu Concilii non acquiratur per simplicem receptionem in protectionem. Barbosa supra d. c. 8, sess. 22, de Reform., n. 30; Monacell. tom. II, tit. 13, form. 2, n. 53. Pignatell. tom. I, cons. 114, n. 32, ubi refert prout sequitur: (42. In una Messan. fuit dubitatum: Primo, an hospitale alias non exemptum, si accipiatur a Rege sub immediata sui protectione, estimatur a jurisdictione ordinarii, ita ut ab eo visitari non possit, juxta Sac. Concil. Trident. dispositionem sess. 22, cap. 8, de Reform. (43. Secundo, an hospitale, in quo Rex habet juspatronatus, si alias exemptum non fuerit, visitari possit ab ordinario? (44. Tertio, an per immemorabilem consuetudinem non visitandi aliquod hospitale excludatur ordinarius a jure illud in posterum visitandi? (45. Die 11 Decembr. 1621, Sac. Congreg. Concil. *Ad primum dubium* respondit: « Hospitale alias non exemptum non ideo esse immune ab ordinarii jurisdictione, etiamsi acceptum fuerit a Rege sub immediata ejus protectione, ac propterea hoc non obstare, quominus ab Archiepiscopo visitari valeat. (46. *Ad secundum*: Hospitale, in quo Rex habet juspatronatus, si alias exemptum non fuerit, utique posse ab ordi-